

45. 3°. Ex casu amittitur jus patronatus 1°. si extinguatur familia vel linea in qua residet, nisi alia persona, et alia linea personarum substituta fuerit ab institutore; 2°. si ecclesia destratur vel pereat dos et redditus deficient, nec reviviscit jus patronatus licet rursus ædificetur Ecclesia vel dos constitatur, nisi prior patronus ad reædificandam Ecclesiam vel dotandam concurrerit. Qua in re opportunum est referre quæstionem *die 27. Julii 1861* propositam et resolutam in S. Congr. Conc. sub tit. *Tiburтина Restorationis Eccl. Parochialis*. Templum parochiale juris patronatus deformatum, squalore sordidum, et ruinosum erat. Deficientibus redditibus Ecclesiæ et congruo Parochi propositum est dubium 'An patronus teneretur restaurare Ecclesiam parochialem in casu?' Et responsum est 'affirmative præfixo patrono termino trium mensium ad perficiendas reparationes, quo inutiliter elapso esse locum amissioni juris patronatus'. Ergo quando reparationes necessariae sunt in Ecclesia nec alius sit qui ex legitimo titulo teneatur easdem exequi auctoritas ecclesiastica potest præfigere tempus patrono ad eas perficiendas, quo inutiliter elapso censetur patronus decidisse a suo jure. Consonant aliæ resolutiones in *Tiburтина Reparationis Eccl. paroch., diei 15. Dec. 1827* et in *Nursina, 25. Sept. 1858* in quibus terminus patrono præfigitur vel ad reficiendam Ecclesiam, vel ad renunciandum juri patronatus.

TITULUS XXXIX.

De censibus, exactionibus et procurationibus.

1. Census, si generice sumatur, significat quidquid regulari præstatione solvitur. Communius vero hoc vocabulum sumitur ad indicandum jus quod alicui competit percipiendi annuam pensionem ex re alterius utili vel fructifera super qua dicitur fundatus census. Census hoc sensu acceptus alius est reservativus, alius consignativus. Reservativus est cum quis in alium transfert rem suam quoad dominium directum, et utile reservata sibi annua pensione super eadem re. Consignativus obtinet quando dominus alteri vendit jus percipiendi annuam pensionem super fructibus naturalibus, vel civilibus rei propriæ, retento sibi dominio tam directo quam utili. Leges et conditiones quibus census hic consignativus ad vitandam usurarum suspicionem debeat constitui, determinantur

a S. Pio V. in celebri Const. *Cum onus, diei 19. Jan. 1569*. At non de hoc censu loquitur titulus.

2. Census in sensu tituli definitur: 'Pensio aliqua annua quæ ex proventibus ecclesiasticis, ab ecclesiis, monasteriis et aliis locis piis solvitur Superioribus, Prælati, Patrono, vel alteri personæ præsertim in recognitionem subjectionis, aut etiam ex alio justo titulo Episcopi auctoritate recognito'. In genere ergo solutio census est argumentum dependentiæ. Hinc ceu principium edicit *c. 2. h. t.* 'Ideo tributa præstatis quia hæc est probatio subjectionis.' At sola solutio census non evincit plene Ecclesiam quæ solvit, esse subjectam personæ vel Ecclesiæ quæ censum percipit. Nam ex alio etiam titulo potest solvi census. Sic ex gr. ex *c. 23. De Jure patr.* solvitur modica pensio statuta ex Episcopi auctoritate in limine foundationis. Sic ex *c. 8. De privilegiis* solvitur census Episcopo in signum obtentæ exemptionis ab ejus auctoritate. Census alius *antiquus* dicitur, alius *novus*.

3. Antiquus est qui imponitur Ecclesiæ vel beneficio in ipsa fundatione vel in consecratione Ecclesiæ. Novus est qui ab initio non fuit impositus, sed imponitur post fundationem vel consecrationem Ecclesiæ, beneficio post ejus legitimam erectionem. Uterque vero potest esse vel perpetuus vel temporaneus, prout ad certum tempus imponitur vel absque temporis consideratione.

4. Quinam imponere possunt census?

1°. Rom. Pontifex qui juxta *c. 2. de præb. in 6°. et Clem. 1. Ut lite pend.* liberam habet dispositionem beneficiorum ecclesiasticorum potest imponere censum sive antiquum sive novum sive temporaneum sive perpetuum. 2°. Episcopus, vel qui habet jurisdictionem quasi-episcopalem potest imponere censum antiquum seu in fundatione et erectione Ecclesiæ vel beneficii, vel in consecratione Ecclesiæ *c. 7. h. t.* Potest etiam censum imponere cum concedit de consensu Capituli aliquam Ecclesiam a sua jurisdictione dependentem et eam ab oneribus episcopalibus eximit *c. 6. De relig. domib.* Hic census habetur ceu indicium acceptæ libertatis. 3°. Antiquum censum moderatum potest ex auctoritate Episcopi imponere patronus in limine foundationis beneficii, ex *c. 25. De jure patronatus*, in quo supponitur posse patronum exigere censum impositum in limine foundationis cum Episcopi consensu. At neque Episcopus, neque patronus potest augere censum antiquum semel impositum quamvis augeantur vires et facultates Ecclesiæ vel

beneficii *c. 7. h. t.* quia pro Episcopo census est solummodo signum subjectionis vel indicium concessæ libertatis, non vero pensio proportionata fructibus, quæ fructibus auctis crescere debeat, et viceversa, patronus autem ex facta concessione honorum suorum Ecclesiæ vel beneficio cessavit esse dominus, ac proinde nullum jus habet in augmento facultatum seu reddituum Ecclesiæ vel beneficii.

5. Quid vero dicendum de novo censu?

Non potest Episcopus aut alius prælatus novum perpetuum censum imponere Ecclesiis aut beneficiis cujuscunque generis *c. 3. et 7. h. t. et Clem. un. De suppl. negl. prælat. § eadem quoque.* Neque si Ecclesiam eripuerit de manibus laicorum *c. 9. h. t.* Potest vero Episcopus 1º. ex justa causa clerico, cui confert beneficium imponere censum non perpetuum sed personalem, scilicet duraturum ad vitam ejusdem clerici in favorem alterius clerici, vel alicujus Ecclesiæ, juxta ea quæ de pensionibus dicta sunt in titulo *Ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur.* 2º. Censum temporaneum potest etiam Episcopus imponere in casibus a jure definitis. Ex. gr. in favorem vicarii temporanei quem constituit in subsidium Parochi titularis non amplius sufficientis ad sustinenda onera parochialia *c. 6. sess. 21. De Ref.* 3º. Ex *c. 7. ejusd. sess.* potest beneficiis et Ecclesiis pro reparationibus in sacro templo perficiendis et præsertim in Cathedrali Ecclesia. Tandem ex *c. 18. sess. 23. De Ref.* potest Episcopus novum censum quoadusque necessitas postulaverit Ecclesiis et beneficiis imponere pro erectione seminarii diocæsani. Hæc in genere de censibus, nunc in specie

6. De Cathedralico, seu synodatico.

Cathedralicum est pensio certa singulis annis solvi solita Episcopo in signum subjectionis, et in honorem cathedræ Episcopalis. Dicitur etiam synodaticum, quia solvi consueverat in Synodis Episcopalibus, quæ singulis annis celebrabantur. Quod debeat Episcopo solvi cathedralicum patet ex *cc. 9. et 20. h. t.* Hoc insuper jus inter Episcopalia jura adeo est privilegiatum ut nec Episcopus possit illud in totum remittere, nec contraria licet immemoriali consuetudine præscribi possit. Nam est signum subjectionis, et honoris debiti cathedræ Episcopali. Ita expresse traditur in *c. IV. h. t. 8. Conc. Romani sub Bened. XIII.* Potest vero præscribi quantitas hujus census. Conf. Bened. XIV. *De Syn. l. 5. c. 6. et c. 7.* Solvitur vero ab omnibus Ecclesiis vel beneficiis vel

capellis sæcularibus immo etiam a parochis, beneficiis et capellis Regularium, monasteriis pleno jure unitis et non specialiter exemptis; quamvis iisdem præsent regularis *c. 16. De off. Jud. Ord.* Non solvitur autem a Monasteriis, vel Ecclesiis regularium in quibus ipsi regulares sacra peragunt; eximuntur enim a jurisdictione Episcopi, et a lege diocæsana *c. 1. De statu Mon.* Nec obstat aliquando Ecclesiam fuisse Episcopo subjectam nam quoad hunc censum respicitur status actualis Ecclesiæ. Juxta canones quantitas Cathedralici erat duorum solidorum, seu solvebatur in annua summa 20 juliorum Romanor. *can. 1. caus. 10. q. 3. et c. 10. De off. Jud. Ord.* Plurimum vero valet hac in re locorum consuetudo. Animadvertendum tamen est servandam esse ab Episcopis moderationem in determinanda taxa sub titulo Cathedralici. Nam potius quam ad lucrum Episcopi constitutus est a jure hic census in recognitionem subjectionis et honoris erga Cathedralicam Episcopalem. Hinc Bened. XIII. in cit. loco statuit cathedralicum excedere non debere duos solidos seu julios 20, et quasdam classes Beneficiorum et Ecclesiarum designans voluit ut hac moderatione imponatur scilicet: 1. Quibus sunt redditus infra decem scuta duo julii. 2. Quibus infra quinquaginta, julii quinque. 3. Quibus infra centum julii decem. 4. Quibus ultra centum et in quacumque alia majori summa julii 15. Ab Ecclesiis ubi plures de massa communi participant, ab omnibus in communi julii 20 exiguntur, salvis tamen consuetudinibus Ecclesiis, et Episcopis magis favorabilibus.

De exactionibus.

7. Exactio est pensio quam vi legis diocæsanae ex redditibus Ecclesiasticis justa de causa extraordinarie acquirit Episcopus. Quod ut intelligatur sciendum est a Canonistis juxta *c. 18. De off. Jud. et Glossam ibi.* potestatem Episcopi dividi in legem jurisdictionis, et in legem diocæsanam. Lex jurisdictionis consistit in dando seu in collatione ordinum, beneficiorum, et officiorum, in ferendis sententiis et absolvendis fidelibus a culpis; lex diocæsana consistit in recipiendo et versatur circa illas exactiones quas Episcopus a suis subditis potest exquirere, et assequi. Exactiones ergo obtinet Episcopus vi legis diocæsanae.

8. Præcipuum locum inter exactiones tenet subsidium charitativum de quo in *cap. 6. h. t.* et definitur: Exactio extraordinaria, et moderata ob manifestam, et rationabilem causam cum

charitate a subditis expostulata. Licet ex charitate postuletur tamen obligat revera subditos, qui si inviti fuerint, possunt cogi ad hoc subsidium solvendum. Solvitur vero ab omnibus Ecclesiis, et beneficiis sæcularibus, a beneficiatis etiam regularibus non exemptis e redditibus superfluis. Solvitur autem in taxa moderata imponenda pro consuetudine locorum juxta normam seu proportionem quæ servatur in exigendis procurationibus, de quibus infra. Exprimitur hæc norma in *extrav. un. h. t. inter comm.* Exigitur autem ab Episcopo vel ab eo qui jurisdictionem habet Episcopalem, non vero ab inferioribus prælatis, qui habent etiam jurisdictionem ordinariam quemadmodum jure Decretalium erat Archidiaconus, Archipresbyter etc. ceu expresse docet *c. 6. h. t.* In similitudinem Episcoporum DD. tenent Abbates, et Superiores ordinum, qui possidendi capaces sunt posse saltem ex consuetudine vel privilegio a monasteriis subsidium charitativum exigere.

9. Huc referri potest pia institutio Ecclesiastica præstandi Romano Pontifici charitativum subsidium denarii seu oboli S. Petri. Hic mos primum introductus fuit in Anglia ab Ina Rege qui ad protestationem fidei faciendam et ad honorem S. Petri regnum tributarium fecit Apostolicæ Sedi; statuens singulis annis a singulis familiis solvendum esse Romano Pontifici argenteum denarium. Conf. potest Baronius *ad an. 782.* De hoc subsidio charitativo denarii S. Petri agit *c. 12. h. t.* in quo compescuntur abusus Archidiaconorum qui præerant exactionibus hujus tributi. Nostra ætate ob spoliationes, quas S. Sedes passa est, ex instinctivo quodam motu fidelium hoc subsidium charitativum in usum revocatum est; at nulli legi subjicitur, et totum ex pia liberalitate fidelium pendet.

De procurationibus.

10. Procuratio est præstatio eorum quæ Episcopo, aliisque prælatis actualem dioceseos visitationem obeuntibus cum notario, et decenti comitatu sunt necessaria ad competentem victum, et habitationem faciendam ab illis quos visitant. Præstanda est procuratio quia Episcopus censetur hospes in Ecclesia quam visitat ac proinde sustentari debet.

11. Quæritur primo loco quænam sit quantitas procurationis præstandæ. In *c. 6. h. t.* et *in c. 23. h. t.* temperantur abusus, qui obrepserant, Episcoporum et aliorum prælatorum visitantium

Ecclesias dioceseos, cohibetur luxus et ambitio, et pro ratione illorum temporum præcipitur moderatio in comitatu et in victu. Conc. Trid. in *c. 3. sess. 24. De Ref.* præcipit ut Episcopus visitans diocesim, contentus sit modesto comitatu et equitatu, et quam celerime debita tamen cum diligentia visitationem absolvat. Interim vero caveat ne inutilibus sumptibus cuicumque sit gravis et onerosus. Insuper adhærens dispositionibus *capp. 1. et 2. h. t. in 6º.* Tridentinum prohibet ne Episcopus visitans aut quisque suorum nomine et causa procurationis pro visitatione præter victualia frugaliter moderateque præstanda, quidquam aliud recipiat, nec quidem munus quod offeratur. Quodsi quis de facto aliquid recipere præsumpserit is præter dupli restitutionem intra mensem faciendam, aliis etiam pœnis juxta *c. 2. h. t. in 6º.* mulctetur: idest Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi subjiciuntur interdicto ingressus in Ecclesiam, inferiores vero suspensioni ab officio et beneficio quoadusque non restituant. Nec eis prodest condonatio facta ab illis quibus restitutio facienda est. Immo decernit Tridentinum istos transgressores posse subjici aliis pœnis in Synodo provinciali statuendis.

12. Quæritur an procuratio possit ab Episcopo recipi in pecunia. In *c. 1. § procurationum h. t. in 6.* cui consonat *c. 2. eod.* expresse id interdicatur. At hanc dispositionem correxit Bonifacius VIII. in *c. 3. ejusd.* concessitque ut, volentibus visitatis, Episcopus visitans possit procurationem in pecunia accipere. Hanc dispositionem suam fecit Tridentinum in loc. cit.

13. Sciendum præterea est ex resolutione S. Congregat. *diei 19. Sept. 1682,* vel a *Bened. XIV. De Syn. dioc. lib. X. c. 10.* et ex alia S. Marci *diei 16. Jan. 1723* posse quidem Episcopum Ecclesias plus quam semel in anno visitare ab eadem vero Ecclesia semel tantum in anno procurationem posse percipere. Quod si una die plures visitet Ecclesias Episcopus quamvis unaquæque par esset, et sufficiens ad præstandam procurationem non potest tamen nisi unam accipere *c. 3. h. t. in 6º.* Animadvertendum tandem est ex Tridentini dispositione in *cit. c. 3. sess. 24.* neque semel in anno posse exigi procurationem in illis locis, seu provinciis ubi consuetudo est ut nec victualia, nec pecunia, nec quidquam aliud percipiatur a visitatoribus. Hunc vero textum Tridentini de consuetudine generali dioceseos, non vero de consuetudine alicujus Ecclesiæ particularis interpretata pluries est S. Congr. Conc. Ita in *Aquipendien. 23. Apr. 1787* et in *Nursina 8. Maji 1824.*

Conf. Petella *Canones et decr. Concilii Tridentini cum resolutionibus S. Congr. ad c. 3. sess. 24. De Ref. n. 13.*

14. Quæritur a quibus solvitur procuratio?

Solvitur ab omnibus Ecclesiis, beneficiis, oratoriis publicis et monasteriis, quæ non sint exempta a jurisdictione Episcopi arg. *c. 16. De off. ord. et ex cap. 23. h. t.* Omnia enim hæc subduntur Episcopi visitationi.

Non solvitur vero procuratio 1º. ex *c. fin. h. t.* ab oratoriis privatis seu quæ non sunt erecta auctoritate Episcopi in privatis domibus; 2º. ab Ecclesia quæ ab hac solutione eximitur ex privilegio Pont. *c. 17. h. t.*; 3º. ab Ecclesia vel beneficio censu paupere dotato arg. *c. 11. § insuper De Rescr. in 6º.*; 4º. ab hospitalibus, vel aliis locis piis charitatis operibus destinatis ex resolut. S. Congr. relata a Fagnano in *Comm. c. 24. h. t.* Etenim non convenit ut Episcopus detrahat partem reddituum, qui sublevandis miseris personis destinantur; 5º. non solvunt Cathedralis et Ecclesiæ vel loca pia civitatis in qua est Sedes episcopalis. Nam Tridentinum in *sess. 24. De Ref. c. 3.* ait procurationem pro tempore et necessitate esse habendam, quæ necessitas recipiendi victualia non videtur urgere in civitate ipsa episcopali; quemadmodum etiam S. Congr. Conc. pluries respondisse refert Fagn. in *comm. c. 24. h. t. n. 15.* Hinc videtur fuisse derogatum *capiti 24. h. t.*

15. Quæritur a quibus procuratio recipiatur?

Procuratio recipitur ob visitationem, hinc illi recipiunt procurationem qui jus visitandi habent. Et quidem 1º. Romanus Pontifex jus habet visitandi totam Ecclesiam. Repræsentatur autem a Legatis a latere, et a Nunciis. Hinc in *c. 23. h. t.* istis solvendæ esse dicuntur procurationes. At tractu temporis factum est ut visitatio hæc legatorum et Nunciorum Apostolicorum cessaverit, et insuper inolevit consuetudo, ut Legati et Nuncii sustentarentur ab ipsa Apostolica Sede.

2º. In *c. 6. h. t.* tribuitur 1º. Archiepiscopis jus visitandi totam provinciam, hinc etiam recipiendi procurationes. Verum sciendum est ex *c. 1. h. t. in 6º.* non posse Archiepiscopum visitare diocesim alicujus suffraganei nisi antea absolverit visitationem totius suæ dioceseos. Cui conditioni et aliam addidit Tridentinum *c. 3. sess. 24. De Ref.* ut nempe non possit visitare diocesim suffraganei nisi prius causa cognita et probata in Concilio Provinciali. 2º. Ex eodem *c. 6.* Cardinales visitabant Ecclesias tituli proprii. At post

Const. *Romanus Pontifex Innoc. XII. 5. Kal. Oct. 1692* hoc jus desivisse dicendum est. Nam Cardinalibus in suis titulis in quibus adest clerus, reservata est facultas seu jurisdictio in iis dumtaxat quæ concernunt servitium chori. Quam Constitutionem interpretatus Pitonius *De Controv. Patron. Alleg. 41. n. 51.* ait jurisdictionem episcopalem Cardinalium cessasse in suis titulis non solum in populum, sed etiam in clerum, et concedi Cardinalibus solum jurisdictionem domesticam et extrajudicialem illius generis quæ competit vicariis vel Archipresbyteris Capitulorum, mulctando nempe delinquentes per subtractionem distributionum et fructuum et vocis in capitulo.

16. 3º. Archidiaconi etiam et Archipresbyteri vel Decani jure decretalium jus habebant visitandi *c. 6. h. t.* Archidiaconus autem Episcopo impedito quolibet triennio totam visitabat diocesim *c. 1. De off. Archid.* At huic juri derogatum est a Tridentino in *c. 3. sess. 24. De Ref.* ubi præcipitur visitationem complendam esse per Episcopum, aut eo impedito per suum vicarium generalem vel alium visitatorem deputandum. Archidiacono quidem Archipresbytero et aliis inferioribus reservatur facultas per seipsos tantum visitandi eas Ecclesias quas soliti fuerant visitare, assumpto tamen notario de Episcopi consensu et cum onere infra mensem rationem reddendi Episcopo de visitatione peracta.

17. 4º. Vicarius etiam capitularis visitat diocesim nam ipsi commissum est gubernium spirituale ejusdem dioceseos. Attendenda tamen est practica disciplina statuta per plures decisiones a Sacra Congregat. Conc. de quibus Bened. XIV. *De Syn. Diac. lib. 2. c. 9. n. 6. et lib. X. c. 10. n. 6.* Scilicet aliis resolutionibus omissis *die 13. Sept. 1721* propositis dubiis: An Vicarius capitularis facere possit visitationem civitatis et dioceseos, 2º. an facere possit visitationem personalem capitularium? Responsum est ad primum et secundum affirmative dummodo elapsus sit annus a die ultimæ visitationis factæ ab Ordinario. Et in *Ostunensi Procurationis diei 28. Julii 1718* eadem Sacra Congregatio rescripsit vicario capitulari deberi tantum medietatem procurationum, quæ Episcopo solvi consueverant. Vicarius vero Capitularis non visitat loca et personas quas Episcopus visitat tamquam Apostolicæ Sedis delegatus.

18. 5º. Episcopus visitat diocesim. In *c. 3. sess. 24. De Ref.* Tridentinum statuit ut Patriarchæ, Primate, Metropolitan, Epi-

scopi per seipsos, aut si fuerint impediti, per Vicarium generalem, aut visitatorem quotannis visitare non prætermittant totam diœcesim, aut saltem ejus partem majorem, ita ut si nimis ampla sit biennio visitatio compleatur. In *c. 8. sess. 7. De Ref.* expresse ait Tridentinum Episcopum teneri ad visitandas Ecclesias omnes singulis annis. Animadvertit vero Berardi *Jus can. univ. diss. 4. c. 3.* hanc legem annualis visitationis posuisse Tridentinum, quia renovaverat legem annualis celebrationis Synodi diœcesanæ in qua Synodo consulendum erat necessitatibus et utilitatibus Ecclesiarum quibus providendum esse intellexerat visitando diœcesim juxta *c. 16. De off. Jud. Ord.* At quemadmodum commodum non fuit ubique quotannis celebrare Synodum diœcesanam, ita etiam ab annua visitatione cessatum est: neque visum est id repugnare menti Patrum Tridentinorum, qui in *c. 3. sess. 24. De Ref.* et ipsi tempus visitationis ubi causa legitima subesset ad triennium prorogarunt.

19. Visitat vero Episcopus Ecclesias omnes sæculares, et auctoritate Apostolica etiam quomodocumque exemptas *c. 8. sess. 7. De Ref.* Hinc 1º. Ecclesias sæculares diœceseos Sedi Apostolicæ immediate subjectas, earumque prælatos quasi-episcopalem auctoritatem habentes, potest Episcopus tamquam Sedis Apostolicæ delegatus, cujus cathedralis Ecclesia sit proximior, visitare nisi loci prælatus Episcopum in provinciali concilio elegerit, cui subsit quoad visitationem *c. 9. sess. 24. De Ref.* 2º. Capitula Cathedralis et aliarum Ecclesiarum, eorumque personas. 3º. Ecclesias parochiales etiam unitas monasteriis Regularium tum quoad locum tum quoad personas curam animarum exercentes, in iis quæ ipsam animarum curam respiciunt. Excipiuntur vero Monasteria in quibus Abbates generales aut capita ordinum Sedem ordinariam principalem habent *c. XI. sess. 25. De Reg.*

20. 4º. Visitat etiam tamquam Sedis Apostolicæ delegatus beneficia omnia commendata sive sæcularia, sive regularia etiam exempta *c. 8. sess. 21. De Ref.* 5º. Visitat etiam tamquam Sedis Apostolicæ delegatus hospitalia, collegia quæque, atque confraternitates laicorum, pia loca quomodocumque appellantur, licet ad laicos pertineant et sint exempta *c. 8. sess. 22. De Ref.* Visitat etiam confraternitates erectas in Ecclesiis exemptis Regularium. Quid vero dicendum de monasteriis et Ecclesiis Regularium? Mihi videtur distinguendum esse inter monasteria et conventus intra Italiam et insulas adjacentes, et monasteria et conventus extra

Italiam positos. Si de his sermo est, adhuc jus Tridentinum valet. Hinc 1º. visitat Episcopus etiam tamquam Sedis Apostolicæ delegatus monasteria, et Ecclesias regularium commendata in quibus non viget regularis observantia *c. 8. sess. 21. De Ref.* 2º. Visitat Episcopus tamquam Sedis Apostolicæ delegatus monasteria Regularium, quæ cum aliis in provincia vel vicinis provinciis non fuerint erecta in congregationem ut capitula celebrent et designent superiores et visitatores particularium conventuum *c. 8. sess. 25. De Reg.* 3º. Visitat Episcopus monasteria et conventus erectos post emanationem decreti Urbani VIII. *diei 21. Junii 1625* in quibus duodecim religiosi non possint sustentari, et actu non sustentantur. Ex cit. decreto Urbani VIII. non visitat Episcopus monasteria, in quibus verificentur conditiones de quibus sermo est in Tridentino exposito casu. Nec visitat monasteria exempta quæ subsunt totius ordinis capiti, licet in illis non adsit regularis observantia *arg. d. cap. 20. sess. 25. De Reg.* Nec visitat Monasteria regularium exempta, fundata ante decretum Urbani VIII. quæ non subsint supremo capiti Ordinis dummodo in illis vigeat regularis observantia. Nam in *c. 8. sess. 21. De Ref.* facultas datur Episcopo solum quoad monasteria commendata in quibus non vigeat regularis observantia. Quoad monasteria Italiæ præter ea quæ statuit Tridentinum in citatis locis et Urbanus VIII. in cit. decreto, attendenda est etiam correctio inducta per decretum *Ut in parvis Innoc. X. diei 10. Febr. 1654.* Scilicet Episcopus visitabit Ecclesias regulares et monasteria illa, quæ ex citatis omnibus capitibus juris a sua jurisdictione non sunt exempta, non visitabit vero quæ sunt exempta. Porro quæ visitat virtute decreti Innoc. X. *Ut in parvis* visitat tamquam Sedis Apostolicæ delegatus. Quæ vero sint, vel non sint exempta in sensu supradictorum jurium jam vidimus in titulo *De religiosis domibus.* Animadvertimus vero ex decreto Alex. VII. 5. *Junii 1664* Episcopum non posse procurationem exigere a monasterio quod visitat virtute decreti *Ut in parvis Innoc. X.*

21. Insuper Episcopus potest absque tamen jure procurationis visitare oratoria et Ecclesias positas in grangiis monasteriorum etiam prorsus exemptorum a sua jurisdictione et visitatione *c. 5. h. t.* Grangiæ sunt cellulæ vel parvæ domus in possessionibus seu prædiis monachorum, in quibus aliquis vel aliqui monachi commorantur agros colendi causa. Hinc qui inter eos præest admini-

strationi bonorum temporalium dicitur cellularius, quasi præses cellularum. In cellulis aderat oratorium.

Tandem Episcopus quoad clausuram visitat jurisdictione ordinaria monasteria monialium sibi subjecta, tamquam Sedis Apostolicæ delegatus exempta et etiam subjecta capitibus ordinum regularium *c. 5. sess. 25. De Reg. in Tridentino.*

22. Ad complendam vero hanc materiam, observamus 1^o. scopum visitationis esse sanam doctrinam, pulsus hæresibus, inducere, bonos mores tueri, malos corrigere, populum cohortationibus ad religionem, pacem et innocentiam accendere; *c. 3. sess. 24. De Ref.* 2^o. Ex *c. 10. sess. 24. De Ref.* habemus Episcopum in iis quæ ad visitationem et correctionem morum pertinent jus et potestatem habere etiam tamquam Sedis Apostolicæ delegatum, ea omnia ordinandi, moderandi, puniendi et exequendi juxta canonum sanctionem, quæ illi necessaria videbuntur pro sua prudentia et emendatione subditorum, nec decreta Episcopi hac in re posse ullo modo etiam per appellationem ad Sedem Apostolicam suspendi aut executionem impediri.

TITULUS XL.

De consecratione ecclesiæ vel altaris.

1. Nomine Ecclesiæ in titulo venit ædes vel domus cultui divino deputata in qua fideles conveniunt ad ipsum cultum præstandum. Altare est sedes seu locus in quo sacrificium offertur. Aliud est fixum, aliud portatile. Fixum est quod consecratur tamquam adhærens suæ basi, portatile quod consecratur distincte et absque relatione ad basim. Hinc de loco ad locum asportari potest. 1^o. De consecratione Ecclesiæ; 2^o. de consecratione altaris. Consecratio Ecclesiæ definitur: 'Dedicatio solemnitas Ecclesiæ ad honorem Dei facta, a legitimo Ministro per unctionem chrismatis, et præscriptam verborum formam cum intentione canonica'. Ecclesia ad fidelium pietatem excitandam ritus quosdam instituit qui appellantur sacramentalia, et eo diriguntur ut ex opere operantis fidelibus producant divinam gratiam. Ritus consecrationis Ecclesiæ institutus est ad imitationem Sacramenti ordinis. Hinc consecratio dicitur esse actus ordinis, at eo sensu quia ex institutione Ecclesiæ sacer minister dedicans cultui divino locum imitatur consecrationem personæ in sacra ordinatione. Quare etiam dicitur in consecratione

adesse intentio canonica seu intentio ministri deputandi locum ad cultum divinum juxta Ecclesiæ institutionem.

2. Differt consecratio a benedictione. Hæc enim fit cum aqua lustrali in pavimento certis adhibitis precibus, et committi potest etiam presbyteris, dum consecratio chrismatis unctione fit, et minister validæ consecrationis est solus Episcopus, et quidem ut licita sit, debet fieri ab Episcopo ordinario loci, qui potest alteri Episcopo munus consecrandi Ecclesiam committere *c. 9. h. t.* At extraneus Episcopus, si irrequisito Episcopo loci, consecrat Ecclesiam suspenditur ab usu pontificalium *c. 5. sess. 6. De Ref. et 2. sess. 14. De Ref.* Necnon cessare debet per annum a celebratione Missarum *can. 28. c. 7. q. 1.* Hæc pœna suspensionis a celebr. missæ renovata non est in *Const. Apostolicæ Sedis.*

3. Presbyter vero solum ex privilegio Pontificis potest consecrationem Ecclesiæ perficere. Quod et videmus concessum a Paulo III. atque Pio IV. Abb. Ludovico, et successoribus ejus in Monasterio Eingildensi quoadusque certæ rerum circumstantiæ manerent.

4. Ritus consecrationis Ecclesiæ in Pontificali Romano præscribitur, cujus ritus pars essentialis est ut liniantur sacro chrismate duodecim cruces in pariete Ecclesiæ insculptæ vel depictæ et forma verborum proferatur. De præcepto est ut Episcopus consecrans etiam missam celebret, et ob rationabilem causam fieri potest ut alius pro consecrante celebret. Episcopus antequam procedat ad consecrationem debet certior fieri de sufficienti dote Ecclesiæ *c. 8. h. t.* In quo etiam Regi Hungariæ imponitur onus dotandi Ecclesiam quam fecerat consecrare. Immo ex *c. 9. De donat.* deducitur ipsum Episcopum consecrantem, qui sciat Ecclesiam esse absque dote teneri ad eam dotandam. Ecclesia consecrari potest quoties de novo erigitur vel quoties ex certis documentis non potest probari eam fuisse consecratam *c. 16. et can. 18. De consecr. dist. 1.* At si certo est consecrata, non potest iterum consecrari nisi antea fuerit execrata *can. 20. De consecr. dist. 1.*

5. Ratio est, quia consecratio a sacris canonibus censetur velut adhærere parietibus Ecclesiæ ad similitudinem characteris qui animæ fidelis consecrati imprimitur. Execratur autem Ecclesia quoties parietes vel totaliter, vel majori ex parte simul et non successive destructæ denuo construuntur. Pariter si parietes interiores ex toto vel majori parte sint igni simul et non successive exustæ, et devastatæ vel abrasæ licet non corruant *c. 20. De consecrat.*